



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Pauli Laymanni e Societate Iesu Jus Canonicum
Commentario Perpetuo Explicatum**

Et Uberi Non Minus Ac Varia Qvam Clara Et Solida Doctrina Illustratum

Commentarius In Librum III. Decretalium

Laymann, Paul

Dilingae, 1698

Capitulum X. Cùm Laici.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62482](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62482)

ritate disponere de juribus spiritualibus (cujusmodi etiam est Patronatus) nisi quatenus ipsi à sacris Canonibus concessum est: at verò nullibi expressum reperitur, quòd Patronatum permutacione transferre liceat, intellige in personam Laicam, aut privatam, ergo asserere non debemus. Dixi autem: diversarum Ecclesiarum. At verò plures Patroni unius Ecclesie, aut Beneficij non videntur prohiberi, quòd minùs unus alteri Patronatum remittat, seu donet, ut si duobus existentibus hæredibus, inter se conveniant, ut unus tantum ipsorum sit Patronus, vel ut unus in hac Ecclesia, & alter in alia solus Patronus sit, cum alioquin successione jure uterque in solidum esset. Et ita docet *Glossa in c. ex insinuatione 14. hoc tit. Azor l. c. q. 6. Barb. in c. preced. n. 4. contra Abb. hic n. 3. Joann. And. in cit. c. ex insinuatione.* Ratio dari debet, tum quia per hanc remissionem, aut pactionem non fit novus Patronus; tum quia minùs gravatur Ecclesia, sive optatius est Ecclesie, ut unum Patronum habeat, quam ut duos.

CAPITULUM X.

Cum Laici.

PARAPHRASIS.

Patronus Laicus Episcopo nesciente, aut non consentiente, Ecclesiam concessit Clerico: postea penitentia ductus, alium Clericum ad eandem Ecclesiam Episcopo presentavit, qui & institutus est. Hujus institutio consistere debet priore concessione, quæ nulla est, penitus rescissa, cum Laicus præsumptione propria Clericum in Ecclesia ordinare non possit. Textus hujus Capituli consentit cum *c. illud 8. hoc tit.*, neque aliud discrimen est, nisi quòd in casu *c. illud* Patronus Laicus Ecclesiam loco religioso in proprietatem, hic autem Clerico in titulum sine Episcopo, & propria autoritate concessit, quorum utrumque à Laico fieri impossibile est, cum ejusmodi spiritualia jura sint

extra limites potestatis Laicæ, sed sunt commissio potestatis Ecclesiasticæ, quia *5. c. illud 8. & cap. sequente h. t.*

CAPITULUM XI.

Cura.

PARAPHRASIS.

Alexander III. scribit ad Abbates, Priores & Clericos, Archiepiscopus Eboracensis, & mandat, ut nemo Ecclesias ex Laicorum donatione sine Diocesani Episcopi autoritate & consensu sibi potestatem vindicare, aut ita acceptas retinere, nisi legitima præscriptione munitus sit, vel Diocesani consensus postea accedat, cum enim Laici non nisi jus ipsius competens in alios transferre possint, apparet, ejusmodi concessiones Ecclesiarum factas à Laicis penitus inanes esse.

SUMMARIUM.

1. *Quomodo Religiosi Ecclesiarum sibi legitime donatarum, jus & proprietatem acquirere possint, via præscriptionis?*
2. *Concessio Ecclesie à Laico facta, si postea ab Episcopo approbata, an ea tempore valet.*

Notandum primum Religiosi & Clerici non possunt Ecclesias à Laico in proprietatem donatas accipere, aut acceptas retinere sine Ecclesiastica autoritate. *l. 1. & in c. 5 c. 8. h. t.*

Notandum secundum. Fieri potest, ut Religiosi, aut Clerici Ecclesias à Laicis sine autoritate Ecclesiastica, adeoque non canonicè acceptas, & inchoata temporis diuturnitate per viam præscriptionis acquirant.

Obijciunt *Glossa hic & Innoc.* quòd Religiosi, aut Clerici in isto casu sint in malà fide, malæ verò fidei possessor nullatenus quam tempore præscribit; nec jurat, si pernamus Religiosos, aut Clericos juras rigore